

vero sit sensus non exclusivus, sed indefinitus, sic neganda est consequentia, quia argumentum procedit ex puris particularibus. Denique si sensus sit, illum modum filiationis, qui est per naturalem generationem, et communicationem ejusdem omnino naturæ, esse potissimum, et comparatione illius, quemlibet alium esse improprium et analogum, sic concedo Christum, ut hominem, non esse filium naturalem illo perfectissimo modo.

32. Quod si urgeat aliquis, nam, si illa filiatio non est omnino perfecta, erit per participationem; et consequenter, juxta rationem D. Thomæ hic, non minus repugnabit Christo ut homini, quam filiatio adoptiva, quia repugnat aliquid dici de eodem per essentiam et per participationem. Respondetur imprimis, quod ad rem attinet, non esse æqualem rationem, quia adoptio, ut dixi, includit negationem omnis filiationis naturalis; filiatio autem naturalis per gratiam unionis non excludit ab eadem persona filiationem naturalem per generationem æternam, sed solum excludit illam secundum talem naturam. Quod vero affinet ad vim rationis D. Thomæ, jam supra explicui, illud principium non posse universaliter intelligi de quacumque ratione participata, sed de illa quæ includit specialem negationem repugnantem unioni hypostaticæ, seu supposito increato secundum se. Adde vero deinde ad rem magis explicandam, dupliciter posse esse aliquam filiationem divinam per participationem: uno modo, quia forma, vel quasi forma in qua proxime fundatur talis filiatio, est entitas participata et creata, et hoc modo filiatio adoptiva est per participationem, et ideo repugnat personæ increatæ, sub quacumque ratione consideretur; et filiatio naturalis, de qua nunc agimus, non est hoc modo per participationem, sed per gratiam unionis, quæ quantum ad aliquid increata est, ut suo loco diximus. Alio ergo modo dici potest filiatio per participationem, non quantum ad formam, in qua proxime fundatur, quia illa increata est; sed quantum ad modum recipiendi (ut sic dicam) sanctificationem, et jus ad hæreditatem æternam a tali forma, qui est medio aliquo modo unionis creato et participato; et hujusmodi filiatio per participationem non repugnat convenire simul cum perfectissima filiatione per essentiam in eadem persona, secundum diversas naturas; quia neque includit aliquid repugnans increatæ personæ, neque excludit unionem hypostaticam, imo illam intrinsece includit.

33. *Ad secundum.* — Ex his facilis est responsio ad secundum; in rigore enim solum probat, hanc filiationem et non esse naturalem in eo sensu quo filiatio per essentiam seu per naturalem generationem talis dicitur, et posse etiam hanc filiationem vocari per gratiam unionis; non vero inde sequitur non vocari proprie naturalem secundum aliam rationem et considerationem, nam et ipsa gratia unionis, naturalis dicitur; gratia quidem respectu humanitatis, cui gratis conceditur, naturalis vero respectu Christi, qui in suis intrinsecis principiis, quibus constituitur, illam includit. Ut vero argumentum illud clarius quoad omnia dissolvatur, declaranda magis est illa proportio inter hanc filiationem naturalem per gratiam unionis, comparatam ad filiationem naturalem per essentiam, et filiationem adoptivam, inter quas medium quodammodo locum tenet, quatenus hanc superat et ab illa superatur. Comparari ergo possunt vel in forma ipsa, quæ est proximum filiationis et juris hæreditarii fundamentum; vel in jure ipso, et modo obtinendi, vel participandi hæreditatem; quoad hoc ergo posterius, majorem quidem affinitatem habet hæc filiatio per gratiam unionis cum filiatione adoptiva, quam cum filiatione per essentiam, ut argumentum propositum convincit; at vero quoad illud prius multo major est propinquitas hujus filiationis ad filiationem per essentiam, quam ad adoptivam, quia proxima ratio ejus est ipsamet filiatio increata, quamvis non secundum se, sed ut humanitati unita; et quia ratio et modus filiationis, ut dici possit naturalis, maxime sumitur ex forma in qua fundatur, et ex intrinseca connexionione vel unione aut identitate, quam talis forma habet cum persona, cui talis filiatio convenit, ideo hæc filiatio merito naturalis dicitur, et nullo modo adoptiva; quia forma illa, totaque ejus dignitas connaturalis est tali personæ, et nullo modo per adoptionem seu intrinsecam benevolentiam ei convenit.

34. *Ad tertium.* — Ad tertium respondetur, filiationes naturales proprias, ac fundatas in propriis nativitatibus et generationibus, tantum esse duas in Christo Domino, scilicet, humanam et divinam, et has esse de quibus Sancti communiter loquuntur; nullum tamen esse inconveniens præter has considerare in Christo aliam filiationem per gratiam unionis, quæ, secundum aliam considerationem, naturalis etiam dicitur, ut explicuimus. Ut hoc autem amplius declaretur, et argumento etiam

ab auctoritate negativa clarius satisfiat, adverto, dupliciter nos loqui posse de his filiationibus: uno modo, quantum ad ipsum respectum prædicamentalem, seu quasi prædicamentalem, qui dici solet, *esse ad*, et secundum hanc rationem nullum est inconveniens admittere in Christo tres respectus, unum realem ad Patrem, quem habet in quantum Deus genitus est; alium, quem ut homo genitus habet ad matrem, sive ille rationis sit, sive realis; alium quem ut homo sanctificatus per gratiam unionis et hæres vitæ æternæ habet ad Deum sanctificantem suum, qui tres respectus possunt nomine filiationis naturalis nuncupari, ut de duobus primis per se constat, et de tertio satis a nobis declaratum est. Hæc vero consideratio nimis est philosophica et scholastica, multumque habet de nostræ rationis præcisione ac consideratione, præsertim si aliquis ex his respectibus tantum rationis sit, ut revera esse diximus; et propter hanc causam raro aut nunquam invenietur hæc trimembris divisio, præsertim apud sacros auctores. Alio modo possumus loqui de his filiationibus, quantum ad formas, et origines seu productiones in quibus fundantur, seu ad quas consequuntur prædicti respectus, et hoc modo in re tantum sunt duæ filiationes naturales in Christo, et duæ generationes secundum duas naturas ex quibus constat, quamvis secundum rationem et præcisionem nostram, una earum possit dupliciter considerari, ut inde consurgat triplex ille respectus supra declaratus.

35. Sic ergo filiatio naturalis in Christo secundum rem una eademque est; tamen illamet, ut constituit personam in natura divina subsistentem et ab æterno genitam a Patre, est filiatio naturalis per essentiam; ut vero quasi formaliter sanctificat naturam humanam sibi unitam, redditque hunc hominem hæredem divinæ hæreditatis, in ipsa etiam humana natura ut sic fundat alium respectum filiationis naturalis; et hoc modo filiatio ipsa naturalis, secundum rem sumpta, ratione et munere distinguitur a nobis, licet in se una sit; in filiatione autem humana non est hæc duplex consideratio, et ideo omni ratione una tantum est. E contrario vero accidit in productione seu origine; nam origo æterna Filii Dei a Patre, et re et consideratione una tantum est, quantum ad præsens spectat; productio autem Christi, ut homo est, quamvis in re sit una, duplicem tamen habet considerationem; in illa enim productione non

tantum consideratur effectio seu formatio humanitatis, sed præcipue unio totius humanitatis ad Verbum, per quam hic homo resultat; hæc ergo actio dupliciter considerari potest, primo, quatenus præcise terminatur ad hoc, ut Deus ex muliere concipiatur, et fiat homo; et ut sic fundat relationem filiationis humanæ in ordine ad matrem, vel relationem effectus ad causam in ordine ad Deum efficientem. Secundo potest illa actio considerari ut per eammet sanctificatur humanitas, et confertur huic homini jus ad divinam hæreditatem. Sicut enim in superioribus dicebamus, personam Verbi, ut terminantem dependentiam naturæ humanæ in subsistendo, distingui ratione a se ipsa, ut est forma sanctificans humanitatem, ita etiam actio eadem, quatenus est productiva hujus hominis in ratione ejusdem personæ subsistentis in natura humana, ratione distinguitur a se ipsa, quatenus est actualis hujus hominis sanctificatio. Et sub hac posteriori ratione fundat alium respectum filiationis naturalis, quem Christum ut hominem ad Deum habere dicimus. Atque ita constat, quomodo in Christo secundum rem tantum sit duplex filiatio, et duplex origo, et quomodo secundum rationem et considerationem nostram triplex distinguatur. Constat etiam cur Sancti, in communi loquendi modo, duplicis tantum filiationis et nativitatis Christi meminerint, quia loquuntur secundum rem, et non secundum considerationem et præcisionem nostram. Constat denique cur, agentes de filiatione Christi naturali, semper eam explicent per respectum originis, æqualitatis, ac perfectæ similitudinis ad Patrem ex vi æternæ generationis, adjungentes ei humanitatem hypostaticè unitam, quia secundum rem vere non est in Christo alia filiatio; et sanctitas ac jus ad divinam hæreditatem, quod in humanitate potest intelligi, ab hac filiatione quasi formaliter provenit, media unione; et totum fundatur in infinita dignitate illius filiationis, et ab illa omnino inseparabilis est sanctificatio humanitatis, supposita ejus unione, et ideo totus hic respectus filii naturalis, quem Christus sub utraque natura subsistens habet ad Deum, per modum unius communiter declaratur, et unus fere cum alio confunditur, non tantum propter unitatem personæ, nam hoc modo etiam filius hominis, et Filius Dei, unus tantum est filius, nec propter solam similitudinem vocis, nam hæc etiam non sufficeret, sed propter unitatem et identitatem formæ sanc-

tificantis Christum ut hominem, cum ipsamet filiatione naturali et per essentiam Christi ut Dei.

36. Ad quartum, quidam gravis auctor referens opinionem quorundam Theologorum, asserentium, si Spiritus Sanctus assumeret humanitatem, eum ut hominem fore filium Dei per gratiam habitualement, dicit sibi vehementer displicere, quia neque esset (inquit) filius naturalis, neque adoptivus; et hanc posteriorem partem late probat: priorem autem dicit esse manifestam, quia habitualis gratia non sufficit filium Dei naturalem constituere eum, qui alias ex vi generationis æternæ Filius Dei naturalis non est. Sed, quamvis multi et graves Theologi asserant, in eo casu Spiritum Sanctum (et idem semper de persona Patris intelligatur), ut hominem, fore filium Dei, neminem tamen me legisse memini asserentem fore filium Dei adoptivum, magis quam Christum ut hominem. Neque argumentum quartum, in cuius solutione versamur, hoc infert, sed fore filium Dei naturalem. Quapropter in illa negatione filii adoptivi omnes convenimus propter rationes omnes de Christo factas, quarum summa est, quia vel esset filius per gratiam unionis, et hæc non facit filium adoptivum sed naturalem, ut satis probatum est, nam quoad hæc eadem est ratio de unione hypostatica terminata ad Spiritum Sanctum, vel ad Filium, quia non est minus sancta persona Spiritus Sancti, et sufficiens ad sanctificandam naturam sibi unitam, quam persona Filii; neque minus esset illi homini connaturalis ac debita hæreditas æterna, seu jus ad illam ob dignitatem personæ, quam fuerit nunc debita Verbo incarnato ut sic; non ergo possit tunc Spiritus Sanctus ut homo dici filius adoptivus ob gratiam unionis. Neque etiam ob gratiam habitualement, propter rationem tactam, quia talis gratia et supponeret illum hominem, cui adveniret, jam sanctificatum per gratiam unionis, et ratione illius habentem jus ad gloriam, et consequenter etiam habentem perfectiorem rationem filii, quam ipsa posset conferre. Item esset ab intrinseco debita, unde non adveniret personæ extraneæ, aut solo affectu conjunctæ Deo conferenti gratiam, sed quæ personaliter esset ipsemet Deus. Itaque quoad hoc eadem est ratio de qualibet divina persona incarnata.

37. Atque hinc consequenter sequitur, in eo casu Spiritum Sanctum, ut hominem, non fore filium Dei per gratiam habitualement; ne-

que aliquem etiam legi, qui oppositum dixerit aut docuerit, non quidem propter eam rationem, quod hæc gratia non faciat filium Dei naturalem, eum qui alias ex vi generationis æternæ Filius Dei naturalis non est; sed ob eam potius causam, quod hæc gratia etiam ipsum Christum ut hominem non facit filium Dei naturalem, etiam si ipse alias ex vi generationis æternæ sit Filius Dei naturalis; ergo eadem vel majori ratione non posset constituere Spiritum Sanctum, ut hominem, filium Dei naturalem; ostensum est autem neque adoptivum posse constituere; relinquatur ergo, Spiritum Sanctum, ut hominem, nullo modo fuisse constituendum filium per talem gratiam. Ratio autem generalis est tacta sectione præcedenti, quia cuicumque personæ divinæ incarnatæ gratia habitualis non confertur per modum novæ generationis, sed per modum proprietatis concomitantis priorem et excellentiorem gratiam. Unde etiam fit, ut in tali persona illa gratia non conferat primum et radicale jus ad hæreditatem. Et ideo nec constituit filium adoptivum, nec omnino filium; quia, sicut gratiæ habituali non est essentielle constituere filium adoptivum, nisi supposita persona extranea, seu (quod idem est) supposita negatione connaturalis debiti, aut altioris conjunctionis cum Deo, quam possit per ipsam gratiam et gloriam fieri, ita non est essenziale huic gratiæ quod faciat filium, nisi supposita simili negatione, quæ necessaria est, ut ipsa detur per modum propriæ ac per se generationis, et ut conferat primum et radicale jus ad gloriam.

38. Difficultas ergo tacta in illo quarto argumento non versatur de gratiæ habituali, sed de gratia unionis; et de hac ego olim asserui, in eo casu Spiritum Sanctum ut hominem cum eadem veritate et proprietate esse dicendum filium Dei naturalem per gratiam unionis, qua id nunc dicitur de Christo ut homine in sensu hactenus tractato. Quam sententiam aliis multis perdoctis placuisse video, et in ea persistendum censeo, quidquid nonnulli alii obmurmurent. Nam ratio insinuata videtur mihi convincens, nam Spiritus Sanctus, ut homo, esset æque sanctus ac Christus ex vi unionis, et haberet æquale jus ad divinam hæreditatem; nam et persona ipsa est æqualis sanctitatis et dignitatis, et ex parte unionis hypostaticæ, ut suppono, non potest esse esse inæqualitas; sed Christus, ut homo, non est filius Dei naturalis per gratiam unionis, nisi ob prædictum jus in tali sancti-

ficatione fundatum; ergo propter eandem rationem Spiritus Sanctus, ut homo, esset filius naturalis per gratiam unionis. Dicent fortasse, Christum, ut hominem, non esse filium naturalem ob eam præcisam causam, sed quia illa sanctificatio et jus ad gloriam provenit a filiatione naturali et per essentiam, ut conjuncta humanitati. Sed contra hoc urget argumentum factum, quia æque digna et perfecta est personalitas Spiritus Sancti; nam quod illa personalitas sit Filii, vel Spiritus Sancti, materiale valde est. Nam Christus ut homo non denominatur filius naturalis a filiatione divina tanquam a forma formaliter referente Christum ut hominem ad Patrem, sed solum ut a subsistentia terminante dependentiam naturæ humanæ; et consequenter sanctificante illam, et dante huic homini jus ad æternam hæreditatem; sed totum æque præstat qualibet personalitas divina; ergo quod illa sit filiatione, paternitas, vel processio, nihil refert ad præsentem effectum seu denominationem. Major est evidens, tum quia ostensum est, Christum, ut hominem, non referri speciali relatione filii ad Patrem æternum; tum etiam quia illa æterna filiatione non potest informare hominem: ut homo est, nec ipsum ad alium referre; ergo neque filium hoc modo denominare; tum denique quia alias, si Pater assumeret carnem, etiam ut homo referretur per paternitatem ad Filium, et in quantum homo diceretur Pater naturalis Filii Dei, quod est plane falsum. Sequela autem est evidens a paritate rationis. Et confirmatur hæc ratio, nam Spiritus Sanctus, ut homo, esset hæres divinæ hæreditatis; ergo esset filius; et non adoptivus; ergo naturalis per gratiam unionis. Antecedens constat ex dictis, quia haberet jus intrinsecum et connaturale ad divinam hæreditatem; consequentia vero a simili summi potest ex illo Pauli: *Si filius, et hæres*; est enim proprium filiorum Dei, esse hæres bonorum ipsius. Respondet enim illa hæreditas juri filiationis tanquam proprio et adæquato principio.

39. Sed respondere potest aliquis, in eo casu fore divinam beatitudinem connaturalem ac debitam Spiritui Sancto ut homini, non tamen per modum hæreditatis, sed per modum cujusdam connaturalis proprietatis seu actionis; sicut scientia infusa vel alia simili perfectio potest dici connaturalis Christo, non per modum hæreditatis, sed tanquam proprietatis quædam. Et potest a simili apte explicari, nam ipsamet persona Spiritus

Sancti, ut Deus est, habet a Patre et Filio, sicut substantiam suam, ita et beatitudinem per essentiam, et tamen non habet illam per modum hæreditatis, sicut nec substantiam habet per modum generationis, et ideo non est Filius; ergo non immerito idem dici potest de illo ut homine. Idemque majori ratione dici posset de Patre, si homo fieret, quia, ut Deus est, multo minus habet illam beatitudinem ut hæreditatem. Hæc responsio est quidem apparens, sed imprimis fere revocat controversiam ad quæstionem de nomine; nam quod nos præcipue intendimus, est, in eo casu Spiritum Sanctum ut hominem habere intrinsecum jus ad illam beatitudinem. Deinde, cur affirmatur de Christo ut homine, quod habeat hoc jus ad illam beatitudinem tanquam ad hæreditatem, et negatur de Spiritu Sancto, cum in re jus utriusque sit æque perfectum, et in æquali dignitate, et simili actione fundatum? Nam quod Christus ut homo sit hæres, non inde formaliter habet, quod in quantum Deus hæres est, nam et hoc ipsum in rigore et proprietate non est verum, quia hæres videtur includere aliquam imperfectiorem, nam significat potius jus ad hæreditatem, quam plenum dominium vel naturalem possessionem et proprietatem illius. Dei autem Filius potius est genitus ut supremus Dominus, quam ut hæres, imo ut per se essentialiter beatus, potius quam ut habens jus ad beatitudinem. Et, quicquid de hoc sit, non videtur referre ut in quantum homo sit hæres, sed hoc pendet ex jure quod habet in quantum homo, et ex modo quo illud habet, et in hoc eadem videtur esse ratio de persona Spiritus Sancti, si homo fieret; consistit autem ratio in hoc, quod ex vi illius actionis divinæ, qua fieret homo per unionem carnis ad ipsum, haberet hoc jus ad bona ipsius Dei, a quo talis actio et unio fieret. Et confirmatur ratione supra de Christo facta, nam homo per gratiam habet jus ad divinam beatitudinem ut ad hæreditatem; ergo multo magis Spiritus Sanctus, ut homo, haberet hoc jus per gratiam unionis. Maxime quia ad ipsamet gratiam habitualement haberet connaturale jus; ergo et ad gloriam, sub quacunque ratione potest gratiæ correspondere; ergo etiam sub ratione hæreditatis. Respondetur ergo ad quartum argumentum, quod ad rem atinet, verum esse, Spiritum Sanctum, ut hominem, in eo casu fore filium Dei naturalem filiatione naturali, quæ est per gratiam unionis, prout

eam in Christo ut homine explicuimus, et recte attingit Albert., in 3, dist. 10, art. 13. Nec potest aptius nomen inveniri, quo declaratur naturalis sanctificatio, et connaturale jus ad divinam beatitudinem, quæ haberet Spiritus Sanctus ut homo ex vi illius originis quam ut homo haberet a Deo ut efficiente ejus incarnationem, neque contra hoc occurrit difficultas alicujus momenti. Quod vero attinet ad modum loquendi, oportet caute loqui, et sufficientem explicationem adhibere, ne tribuendo Spiritui Sancto nomen filii, videamur personas confundere; quod facile vitabitur adjungendo illud additum, *per gratiam unionis*.

40. Non est tamen simile de Virgine Matre, ut in ultima confirmatione inferebatur, tum quia per maternitatem non fit realis unio et personalis cum Deo; unde non tollitur quin illa persona secundum se maneat extranea; tum etiam quia illa gratia non est ita debita et connaturalis ratione divinæ maternitatis, sicut ratione hypostaticæ unionis. Tum denique quia illa ratio antecessit ut dispositio congrua et decens ad maternitatem divinam, et per illam ut sic adoptata est B. Virgo in filiam perfectissimam, ut posset esse condigna mater.

41. Tandem ex his responsum satis est fundamento Durandi: dicendum enim est imprimis, ut ex dictis facile constat, gratiam unionis, communicatam humanitati Christi, esse alterius rationis a gratia filiorum adoptivorum, et ideo non constituere Christum hominem filium adoptivum, sed potius naturalem, quia personæ sic constitutæ intrinseca et connaturalis est talis gratia, et ratione illius est etiam illi intrinsecum et connaturale jus ad æternam hæreditatem. Unde secundo dicitur, licet gratia habitualis sit in Christo et nobis ejusdem rationis, tamen modum habendi illam non esse eundem; et ideo licet nos per hanc gratiam constituamur filii adoptivi, quia non supponimur filii, sed extraneæ personæ, et per talem gratiam omnino liberaliter acceptamur, Christus tamen per illam gratiam non proprie constituitur filius, quia jam supponitur, et gratia illa est quasi proprietatis consequens filiationem. Imo, licet daremus aliquo modo denominari filium ab illa gratia, et relatione illam consequente, non tamen etiam sub hac ratione dicendus esset filius adoptivus, sed naturalis, quia (ut supra, quæstione 7, dixi) etiam gratia fuit Christo connaturalis, non adventitia et extranea; ergo

et relatio quæ in illa fundatur. Unde, sicut idem calor igni est naturalis, et aquæ violentus, ita eadem relatio, quæ in nobis est filiatio adoptiva, in Christo non potest hanc rationem induere, ut recte hic D. Thom. ad secundum dixit; quod tandem etiam docuit Scot., in 3, d. 10, quamvis non satis connaturalitatem illius gratiæ explicuerit, nec rationem filiationis, quam Christus, in quantum homo, habet ex vi solius gratiæ unionis.

42. Ad confirmationem et tertium argumentum in præcedenti sectione relictum, sufficienter jam responsum est.

SECTIO III.

An sit de fide, vel quo gradu certitudinis tenendum sit, Christum, in quantum hominem, seu secundum humanitatem, non esse filium Dei adoptivum, sed naturalem.

1. *Argumenta sententiæ affirmantis.* — Primum. — Ratio dubitandi est, quia illa propositio, etiam cum determinatione: Christus, in quantum homo, est filius adoptivus, videtur damnata in prædicto Concilio Francoford.; est ergo illa propositio hæretica, et contraria de fide, nam, ut supponimus, illius Concilii auctoritas sufficiens est ad certam fidem nobis faciendam; nam licet nationale fuerit trecentorum Episcoporum, tamen intercessit Summi Pontificis auctoritas, non tantum per legatos, sed etiam per instructionem, quæ ejusdem veritatis definitionem, et virtualement Concilii confirmationem continebat. Et, quamvis per aliquos annos latuerit illa definitio, non potest tamen dubitari quin facta fuerit, ut ex historiis constat, et consequenter etiam est certum, nobis esse sufficienter propositum, præsertim hoc tempore, in quo illud Concilium repertum est, et cæteris adjunctum, et in omnibus receptum. Antecedens probatur primo ex sensu contrarii erroris, contra quem facta est illa definitio. Elipandus enim, ut ex quadam ejus antiqua confessione refertur, non negabat unam in Christo personam, quam esse Verbum ipsum divinum et Filium Dei naturalem fatebatur; aiebat tamen, *illum fuisse simul Dei et hominis filium, adoptivum humanitate, non adoptivum divinitate*. Unde non alio sensu asseruisse videtur Christum ut hominem esse filium adoptivum, nisi in eo quem Durand. admittit, nam confitendo in Christo unam personam in duabus naturis, non potest alius modus adoptionis in eo excogitari. Imo nec simpliciter videtur as-

seruisse Christum esse filium adoptivum, sed cum illa adjectione, *in humanitate*; et ita referunt ejus errorem auctores antiqui, ut patet ex Jona Aureliano, Adone, et Aimonio, locis infra citandis, qui aiunt, Felicem docuisse, Christum secundum humanitatem fuisse adoptivum. Et nihilominus Patres Concilii Francoford. illam sententiam, ut ab Elipando assereretur, damnant ut hæreticam; ergo.

2. *Secundum.* — Secundo probatur ex verbis ejusdem Concilii, nam imprimis Adrianus Papa, in epist. quæ ibidem refertur, dum damnasset sententiam et modum loquendi Elipandi, quæ vocat *perfidam verborum stramina*, subdit: *Hoc Catholica Ecclesia nunquam credidit, nunquam docuit, nunquam male creditibus assensum præbuit*. Et subdit: *Quod si secundum eorum callidam tergiversationem cuncta, quæ protulimus, ad divinitatem tantummodo Filii Dei referenda opinantur, dicant ubi unquam communi affectu dixerit nobiscum: Pater noster. Scit enim (inquit) Pater vester quid vobis opus sit; non dicit: Pater noster, quasi nobiscum adoptatus per gratiam*. In quibus verbis clare satis distinguit Christum ut Deum et ut hominem, et negat, etiam ut hominem esse adoptatum per gratiam. Et infra, adducens illud ad Rom. 8: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ponderat, secundum id dici proprium filium et non adoptivum, secundum quod pro nobis traditus est; traditus est autem in quantum homo. Unde concludit Adrian.: *Sicut peccata nostra non tolleret, si ipse peccatum haberet, ita adoptionis gratiam non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit sine sordibus peccati, necessarium egerit, ut gratiam adoptionis acciperet*. Similia multa, tam in illa epistola, quam in cæteris partibus illius Concilii leguntur. Specialiter vero in libro Sacrosyllabo ponderatur in illis verbis Petri, Matth. 16: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, quod nomen *Christus* non est nomen solius divinitatis, sed hominis Dei, qui non tantum ut Deus, sed ut in humanitate unctus, dicitur Filius Dei. Denique omnia testimonia, quibus supra ex illo Concilio probavimus Christum ut hominem esse Filium Dei naturalem, probant in eo esse definitum, Christum non posse dici filium adoptivum, etiam cum illa reduplicatione seu determinatione, *in quantum homo*; quia sæpe in eodem Concilio, et specialiter in epist. ad Episcopos Hispaniæ, dicitur filiationem adoptivam et naturalem non posse eidem convenire, quia adoptiva

includit negationem naturalis; si ergo Christo, etiam cum illa specificatione, *ut homini*, convenit filiatio naturalis, non potest adoptiva convenire. Tertio, possumus hoc confirmare ratione sumpta ex eodem Concilio; nam filiatio adoptiva et naturalis distinguunt personas, cum una sit extranea, et alia propria; sed distinguere personas in Christo est hæreticum; ergo etiam illi attribuere filiationem adoptivam, hæreticum est.

3. *Ratio in contrarium.* — In contrarium autem est, quia multi et graves Theologi, etiam post Concilium Francoford., vel opinati sunt Christum posse dici filium adoptivum, aut simpliciter, aut cum determinatione, *in quantum homo*; vel certe judicaverunt id esse probabile, et nullus ex antiquis damnavit, ut hæreticam, sententiam tribuentem Christo ut homini adoptionem, eo sensu quo Durand. tribuit, ut patet ex Alensi, D. Thoma, et multo magis ex Scoto, Richardo et aliis. Quod si quis dicat hos auctores ignorasse definitionem Concilii Francoford., cum nullam ejus mentionem fecerint, id certe verisimile non est; nam, licet credi possit eos non vidisse acta ipsius Concilii, quæ usque ad nostra fere tempora latuerunt, tamen vix credi potest non legisse historias, quæ frequenter mentionem faciunt Felicianæ hæresis, cujus defensor et quasi protector fuit Elipandus, et damnationis ejus factæ tempore Adriani Papæ, congregato Concilio Francoford.; et inter Scholasticos, Palud., in 3, d. 4, q. 1, hujus definitionis meminit, et nihilominus contrariam opinionem non damnat.

4. *Prima opinio.* — In hac re varii sunt inter juniores dicendi modi. Primus est, hanc propositionem: Christus est filius adoptivus, absolute esse hæreticam, non tam propter definitionem Concilii Francoford., quam propter antiquas definitiones Concilii Ephesini et aliorum contra Nestorium, et communem traditionem Patrum in Scriptura fundatam, ut visum est sectione præcedente. De illa vero propositione cum determinatione: Christus, in quantum homo, est filius adoptivus, negant esse hæreticam, quia neque ex præcedente sequitur, ut ex aliis similibus constat, et ex doctrina tradita supra, q. 16, ubi, contra Gabrielem et alios, in 3, dist. 10 et 11, ostendimus non omnem propositionem, veram cum determinatione, esse veram sine illa. Neque etiam illa propositio cum illa determinatione negata est aut damnata ab antiquis Patribus vel Conciliis; imo Hilarius et Marius